

*Ovid explains why he still writes poetry, even in exile.*

Carmina quod pleno saltari nostra theatro,  
uersibus et plaudi scribis, amice, meis,  
nil equidem feci (tu scis hoc ipse) theatris,  
Musa nec in plausus ambitiosa mea est.  
Non tamen ingratum est, quodcumque obliuia nostri  
impedit et profugi nomen in ora refert.  
Quamuis interdum, quae me laesisse recordor,  
carmina deuoueo Pieridasque meas,  
cum bene deuoui, nequeo tamen esse sine illis  
vulneribusque meis tela cruenta sequor,  
quaeque modo Euboicis lacerata est fluctibus, audet  
Graia Capheream currere puppis aquam.  
Nec tamen, ut lauder, uigilo curamque futuri  
nominis, utilius quod latuisset, ago.  
Detineo studiis animum falloque dolores,  
experior curis et dare uerba meis.  
Quid potius faciam desertis solus in oris,  
quamue malis aliam quaerere coner opem?  
Siue locum specto, locus est inamabilis, et quo  
esse nihil toto tristius orbe potest,  
siue homines, uix sunt homines hoc nomine digni,  
quamque lupi, saeuiae plus feritatis habent.  
Non metuunt leges, sed cedit uiribus aequum,  
uictaque pugnaci iura sub ense iacent.  
Pellibus et laxis arcent mala frigora bracis,  
oraque sunt longis horrida tecta comis.  
In paucis remanent Graecae uestigia linguae,  
haec quoque iam Getico barbara facta sono.  
unus in hoc nemo est populo, qui forte Latine  
quaelibet e medio reddere uerba queat.  
Ille ego Romanus uates (ignoscite, Musae)  
Sarmatico cogor plurima more loqui.  
En pudet et fateor, iam desuetudine longa  
uix subeunt ipsi uerba Latina mihi.  
Nec dubito quin sint et in hoc non pauca libello  
barbara: non hominis culpa, sed ista loci.  
Ne tamen Ausoniae perdam commercia linguae,  
et fiat patrio uox mea muta sono,  
ipse loquor tecum desuetaque uerba retracto,  
et studii repeto signa sinistra mei.  
Sic animum tempusque traho, sic meque reduco  
a contemplatu summoueoque mali.  
Carminibus quaero miserarum obliuia rerum:  
praemia si studio consequar ista, sat est.